

OBSERVATIONES
AD REGULAM DECIMAM
ALEXANDRI PPAE VII.
JUSSU ADDITAE

Observandum est circa Regulam decimam; quod degentes in statu Sedi Apostolicae mediate, vel immediate subjecto non possunt transmittere libros a se compositos, alibi imprimendos, sine expressa approbatione, et inscriptis Eminentissimi, ac Reverendissimi D. Cardinalis Sanctissimi Domini Nostri Vicarii, et Magistri sacri Palatii, si in Urbe; si vero extra Urbem existant, sine Ordinarii loci illius, sive ab illis deputatorum facultate, et licentia Opera infrenda.

Qui vero super impressionem librorum, ordinariam, aut delegatam auctoritatem exercent, dent operam, ne ad examen librorum hujusmodi, personas affectui Auctorum quomodolibet addictas, praesertim vero propinquitate illos, aut alia, quantumvis a longe petita eo sit (veri, et sinceri iudicii corruptrice) necessitudine contingentes admittant: super omnia autem ab oblati sibi in hanc operam per eosdem Auctores censoribus caveant; sed iis demum utantur, quos doctrina, morumque integritate probatos, ab omni suspitione gratiae intactos, ac, si fieri potest, Auctoribus ipsis ignotos, et unius boni publici, Deique gloriae studiosos cognoverint. Quo vero ad auctores Regulares, cujuscumque Ordinis, et Instituti sint, illud praeterea observandum, ut ne eorum scripta, vel opera aliis ejusdem Instituti Regularibus examinanda committantur, sed alterius Ordinis, et Instituti viri pii, doctique, et a partium studio, atque ab amoris, et odii stimulis prorsus remoti eligantur: per hoc autem non tollitur, quin intra eorundem Regularium Ordinem, per Religiosos ejusdem Ordinis, Superiorum suorum jussu, praesuli libri examinari debeant.